

suam impediendo ne resultet in anima effectus illius dilectionis, qui est ipsa gratia, aut illam destruere sine culpa hominis, et similiter remittere illi totam satisfactionem, quam posset juste exigere.

XIV. Si ulterius inquiras, an sufficiat mutatio actualis facta per attritionem, ut Deus sine infusione gratiæ dicatur remittere peccatum; an vero requiratur contritio, Vazquez ubi supra censet sufficere attritionem, quia cum hac sola adjuncta sacramento Deus infundit gratiam: ergo sine in sacramento de potentia absoluta poterit justificare cum sola attritione. Est enim attritio dispositio ad gratiam, licet remota; sufficit ergo ut Deus cum illa remittat peccatum.

XV. Cæterum hoc solum probat posse Deum sine sacramento habenti attritionem infundere gratiam, et mediante gratia formaliter justificare. Sed hoc non pertinet ad nostrum casum, qui procedit ex suppositione quod gratia non infunditur, et inquit an sit sufficiens mutatio actus attritionis, ut extrinsece remittatur peccatum. Quare dicendum est, quod attritio non sufficit, quia non tollit aversionem peccati, et conversionem ad creaturam, neque formaliter habitualiter ut gratia, neque formaliter imperative, et dispositive, sicut contritio, quia attritio non includit dilectionem Dei super omnia: ergo neque conversionem efficacem ad Deum ut ad finem ultimum: ergo neque destruit aversionem a Deo in affectu voluntatis: ergo neque in effectu ex parte animæ: ergo non tollit intrinsecam indignitatem peccati, et sic impertinenter se habet ad destructionem peccati ex parte indignitatis intrinsecæ. Unde remissio Dei quæ cadit super attritionem sine infusione gratiæ perinde se habet ac si caderet super nullum actum, et

sic non conducit ad perfectam ablationem peccati, etiam extrinsecam, de qua loquimur.

XVI. Ultimo inquires, an sufficiat mutatio, et conversio hominis ad Deum finem naturalem (qualis etiam dari potest in statu puræ naturæ) ut Deus ratione illius per extrinsecam suam voluntatem remittat offensam, et peccatum maneat ablatum; an vero requiratur mutatio supernaturalis. Respondetur sufficere in illo casu illam conversionem naturalem efficacem diligendi Deum super omnia auctorem naturæ, ut simul cum extrinseca condonatione peccatum maneat ablatum. Ratio est, quia in illo statu per peccatum solum incurritur aversio a Deo fine naturali, non autem habet privationem gratiæ, sed solum negationem: ergo tollitur ab illa aversio naturalis per conversionem etiam naturalem diligentem Deum super omnia, eo modo quo per contritionem supernaturalem tollitur aversio a Deo fine supernaturali, et ex alia parte Deus condonat offensam per dilectionem remittentem satisfactionem supernaturalem, licet non infundentem gratiam: ergo non manet peccator. Vide quæ dixi in materia de gratia disputatione xx, articulo secundo.

XVII. Ex dictis manet responsum ad omnia illa quæ pro secunda sententia allata sunt. Constat enim, quod etiam sine infusione gratiæ mutationes illæ sufficiunt ad tollendam rationem peccati et offensæ, saltem extrinsece et moraliter: nam de unione hypostatica dubium non est quod sanctificare potest intrinsece, et physice eminentiori modo quam gratia: secundo, visio beatifica adjuncto actu charitatis, qui necessario sequitur ad illam, sufficienti dispositione convertit potentias permanentes et perpetuo, ut Deus judicet dignum sua dilectione illud subjectum: tertio, actus con-

tritionis, et dilectionis charitatis, licet formaliter non sanctificent renovando, et effective conjungendo animam Deo, affective, et dispositive id faciunt. Unde sufficienter tollitur ratio aversionis in quantum voluntaria per tales dispositiones: atque adeo ratione illarum acceptat Deus hominem ad suam amicitiam per actum extrinsecum voluntatis, ex quo per se habet sequi tamquam effectus ipsa gratia, etiam si de facto Deus impediatur ne sequatur: quarto, si peccator annihilatur hoc ipso peccatum desinit esse; unde si iterum reproducatur erit sine peccato ratione illius novæ creationis, quia illam privationem peccati non compatitur iterum producere: ultimo, si in statu puræ naturæ homo peccat, et convertitur ad Deum finem naturalem per illam conversionem tollitur saltem affective aversio illa a Deo fine naturali; unde poterit Deus judicando illum non intrinsece aversum, et indignum remittere omnem rationem offensæ, et debitum satisfactionis: unde non dicitur amplius peccator, et offendens Deum, sed tamen hæc remissio erit a Deo auctore supernaturali, et de se petit habere pro effectu gratiam habitualem.

XVIII. Argumenta quoque pro prima sententia contra nostram primam conclusionem, et pro ea etiam parte qua opponitur tribus, non erit difficile solvere. Primo enim arguitur, quia inter homines potest remitti offensa, et injuria sine aliqua mutatione physica in offedente: ergo etiam inter Deum et homines: secundo, potest a Deo relaxari votum sine ulla mutatione physica in vovente: ergo et vinculum peccati in peccatore: tertio, quia est diversa voluntas condonandi injuriam, et acceptandi ad amicitiam, et diversos pariunt effectus: ergo potest unum fieri sine

alio: antecedens constat, quia acceptatio ad amicitiam fundatur in communicatione propriorum bonorum, donatio vero in cessione juris proprii ad debitam satisfactionem: ergo potest fieri condonatio peccati sine acceptance ad amicitiam. Quarto, quia effectus formalis gratiæ est tollere privationem peccati, et convertere hominem ad Deum: ergo non potest per aliam formam suppleri iste effectus formalis, et consequenter quicumque motus conversionis ad Deum non tollit istam aversionem peccati, cum non opponatur illi permanentem, et habitualiter virtute sua, ut ostendimus articulo præcedenti, neque ex favore extrinseco superaddito, quia sic non tolleretur peccatum intrinsece et perfecte, sed solum extrinsece non imputaretur: ergo sine gratia non potest etiam de potentia absoluta tolli peccatum, quantum ad id quod habet intrinsece in subiecto. Et urgetur ulterius, quia si contritio sufficit tollere rationem voluntarii ab aversione, consequenter sufficit tollere rationem culpæ, imo et totam aversionem, quia tollit aliquid essenziale illius, quod est ratio voluntarii, et culpabilis. Quinto, quia peccatum non relinquit solam privationem, sed etiam positivam conversionem, ut determinavimus disputatione præcedenti, articulo tertio, ergo non indiget physica mutatione ut tollatur de potentia absoluta, quia licet privatio non possit tolli per suspensionem concursus, sed per oppositam formam, tamen id quod positivum est, tolli potest: unde si tollatur conversio positiva peccati per suspensionem concursus divini, tolleretur etiam privatio in ea fundata. Sexto, quia sola voluntas Dei extrinseca non sufficit ad auxiliandum potentiæ sine qualitate recepta in illa, quæ sit effectus talis voluntatis: ergo

neque dilectio Dei extrinseca sufficit sanctificare animam sine qualitate gratiæ recepta in anima, quæ est effectus talis dilectionis; contritio enim, et dilectio sunt actus antecedentes, et disponentes, non formaliter sanctificantes, et effectus illius dilectionis Dei.

XIX. Respondetur ad primum, quod injustitia inter homines non ponit intrinsecam aversionem, et indignitatem, sed solum actum, vel habitum inimicitiae cum extrinseca denominatione offensæ: inimicitia autem respectu Dei non separatur a ratione peccati, et intrinseca aversione a fine ultimo, unde non potest tolli ista inimicitia quantum ad indignitatem, et aversionem peccati, quod est illius fundamentum, sine aliqua intrinseca, et reali mutatione, vel dispositive, vel formaliter opposita ipsi aversioni.

XX. Ad secundum respondetur vinculum voti neque consistere, neque fundari in aliqua aversione intrinseca et physica, sed meram rationem contractus, et promissionis habere, unde relaxatio talis obligationis voti non fit per mutationem physicam, sed moralem: peccatum autem non relinquit solam obligationem reatus extrinsecam, et moralem, sed intrinsecam aversionem, ut communiter contra Scotum docent theologi, et inter propositiones damnatas a Pio V, et Gregorio XIII contra Baium, quinquagesima propositio ita habet: « Transeunte actu peccati solum manet reatus. »

XXI. Ad tertium respondetur, quod condonatio peccati tollens absolute, et intrinsece peccatum a subjecto, exigit effectus divinæ dilectionis, licet non omnes, exigit saltem effectus dispositivos, id est, disponentes ad ablationem peccati ex parte affectus, et similiter effectus morales, id est, remissionem offensæ, et obligationis satisfaciendi

secundum justitiam. Unde talis condonatio licet gratiam de facto non infundat, inducit tamen aliquam communicationem honorum, scilicet istos effectus dispositivos, et morales, quod sufficit ad acceptationem amicitiae ex parte dilectionis Dei.

XXII. Ad quartum respondetur, quod nunquam effectus formalis suppletur per aliam formam eo modo quo effectus formalis, unde effectus formalis gratiæ est facere justum, non quomodocumque, sed quasi effective, et secundum renovationem interiorum; contritio autem quasi affective, et dispositive, et condonatio extrinseca quasi moraliter, quoad ipsam rationem offensæ. Quare privatio aversionis non tollitur per contritionem ex omni parte et absolute, sed dispositive, et quantum ad rationem voluntariæ aversionis ex parte affectus, quod licet sufficiat ad hoc ut dicatur homo conversus ad Deum ex parte unius extremi, id est, ex parte voluntatis hominis, non tamen sufficit formaliter constituere conjunctionem, et participationem inter Deum et hominem, et quia hæc petit nexum utriusque extremi, et quod etiam Deus sit conversus ad hominem, quod solum potest præstare gratia habitualis.

XXIII. Et quod instatur, quod si contritio tollit rationem voluntarii, consequenter tollit etiam essentialem rationem aversionis ut culpa est, respondetur quod tollit rationem voluntarii ex parte omnis affectus, sed non ex parte omnis effectus culpæ, quia non inducit formaliter ipsam conjunctionem Dei ad hominem, quæ per culpam præteritam fuit ablata. Sicut homo aversus a sole, si iterum convertatur ad locum solis de facto non illuminatur, quia sol absens, vel impeditus est, et tunc non est aversus a solo loco,

sed ab illuminatione. Sic qui convertitur per voluntatem ad Deum non est aversus a Deo affectu, sed non est conversus illuminatione et effectum, si Deus de facto non infundit lumen gratiæ; si autem extrinsece remittit peccatum sine infusione gratiæ, non dicitur peccator etiam quoad effectum moraliter, sed solum quasi physice, quoad privationem conjunctionis cum Deo, quam nondum habet in ipsa anima.

XXIV. Ad quintum respondetur, quod macula non consistit formaliter in conversione positiva, sed in privatione rectitudinis sive naturalis, sive supernaturalis cum ordine, et relatione ad actum præteritum, a quo causata est, quæ relatio non potest tolli per suspensionem Dei, cum sit relatio rationis, utpote ad præteritum, sicut umbra formaliter dicit privationem lucis, cum relatione tamen ad corpus interpositum, quod causat illam privationem. Unde sicut umbra non potest tolli per suspensionem concursus, sed per introductionem lucis, ita neque macula peccati, nisi per lucem gratiæ.

XXV. Ad ultimum respondetur, quod effectus quando sunt pure physici non possunt in sola intrinseca subordinatione ad voluntatem Dei alicui convenire, nisi de facto ponantur in re, quod tamen non contingit in effectibus moralibus: auxilium autem divinum est effectus physicus, et ad physice agendum ordinatus. Et similiter res naturales, quæ procedunt ex voluntate Dei sunt effectus physici; et ideo per solam extrinsecam voluntatem non possunt aut illuminare, aut constituere: et idem erit de effectum physico gratiæ habitualis. Unde non poterit aliquis dici gratus Deo, et justificatus interiori renovatione sine receptione physica gratiæ; poterit tamen

dici extrinsece condonatus ex sola voluntate Dei extrinseca, quia hoc pertinet ad effectum moralem, licet ad tollendam intrinsecam indignitatem, aliqua intrinseca mutatio requiratur saltem dispositiva, et affectiva, quia hæc indignitas non oritur ex sola absentia conjunctionis effectus Dei ad hominem, sed ex privatione conjunctionis affectivæ hominis ad Deum, et quantum ad hoc tollitur per contritionem, et moraliter per condonationem.

## ARTICULUS III.

*Utrum gratia et peccatum possint esse simul, saltem de potentia absoluta?*

I. Totam hanc difficultatem resolvimus late in materia de charitate, et ad illam directe pertinet, et ibi videri potest, ex dictis autem in præcedenti articulo pendet tota ejus resolutio, scilicet quia peccatum non solum demeritorie, sed etiam physice opponitur gratiæ per privationem intrinsecam illius; quod quidem de macula relicta ex peccato communiter docent auctores; et hactenus docuimus, alioquin ex natura rei non esset impossibilitas inter gratiam et maculam, nisi mediante aliquo merito. Unde sicut peccatum non expelleret gratiam, nisi demeritorie, ita macula habitualis peccati non posset expelli nisi meritorie, cum tamen videamus in infantibus expelli maculam peccati sine ullo merito, et consequenter per physicam oppositionem: evidens ergo est inter maculam, et gratiam non solum demeritoriam, sed etiam physicam oppositionem intercedere.

II. De ipso autem peccato actuali respectu gratiæ non omnes admittunt physicam oppositionem, sed